5

Signa et causæ.

(21.)

N. Inv.
3221.

Hippocrates libro de arte.

Eiusdem est scientiæ morborum causas nosse, et morbos ipsos omnibus medicamentis, quæ augescere morbum prohibent, curare posse.

Idem, ibidem

Medicus siquidem suffecerit ad cognoscendum, suffecerit etiam ad sanandum.

A

B

Cephalalgia et Cephalaea capitis peculiaris dolor est:
In cephalaea quidem diuturnus, vehemens, et aegre cedens: non continuus, sed morbi comitialis instar per accessiones et internualla repetens, exacerbari q3 solitus, cum imbecillitate capitis: ob quam ocius ac frequentius accessio repetit. In Cephalalgia vero nec diuturnus nec vehemens, sed qualis a Sole, labore, crapula solet excitari: quare mitior, nec vt in Cephalaea capitis imbecillitati coniunctus. ideoq3 nec irritatu adeo facilis. Omnis vero capitis dolor in eius membranis est: qui vel externus, vel internus. Cum externus est afficitur pericranii membrana, dolor q3 sentitur in radicibus capillorum, qui pressu redditur acutior. Sin internus, nimirum intra Caluam Cerebri meninges intemperiem, aut solutionem continui contraxere. Doloris differentiae

Dolor est motus asper a sensibus alienus ex M. Tullio. Vel potius tristis ac molestae rei sensus: vt blandae voluptas ex Galeno. Qui fit quum temperies

repente mutatur, aut continuitas solvitur. Consistit autem dolor omnis in sensu, nec nisi in partibus sentientibus potest contingere. Qui si pungens, acer, ac lancinans, bilem: si tensivus, spiritum, seu flatum: si gravans, humoris copiam indicat. Gravans autem si pariter obtusus, pituitæ: si blandus, sanguinis: sin pungens pulsansq; bilis exuperantis, aut inflammationis; interdum et pituitæ vitreæ signum habendum est: pituitæ vitreæ quidem, si instar acus, aut terebri perforantis, aut impacti pali pars divelli videtur ut in colico dolore. Pulsatilis dolor arteriarum est quæ a partium vicinarum inflammatione comprimuntur: punctorius et tensivus membranarum. ὀσεόκοπος, seu dolor ossium in his membranis est quæ ossibus adiacent. Alius est dolor qui λάπαρος, seu laxus et mollis ab Hippocrate nuncupatur per quem is intelligitur, qui sit phlegmones ac tensionis expers.

D

E

Ephemera febris residet in solo spiritu qui ut tenuis et vagus est, ita levem citoq dissipabilem febrem infert. Proprium autem et inseparabile huius signum est caloris suavitas, ut mordacitas et acrimonia putridis. Ideo vero blandus calor est in ephemera, quod soli spiritus, qui calidi humidiq sunt efferuescant. Aequalis est in eadem pulsus celer tamen et validus, eaq nota a sanorum pulsu distinguitur. Sed ob id aequalis quod humores in arteriis contenti non impelluntur, nec ulli vapores putridi vel acres vel maligni cor impetunt, ut in caeteris febribus. Naturali similis urina quia non in humore, sed solo spiritu vitiū est. Unum diem si superet ephemera, vel simplex synochus, vel alio dicenda nomine, prout a spiritibus in humores malū serpserit.

G

H

I

K

L

M

N

Phrenitis est cerebri et membranarum eius phlegmone cum acuta febre et continuo delirio. Phlegmone quidem a calidorum humorum affluxu: febris quoniam affecta nobili parte, Cor in consensum trahitur: delirium fit viciata cerebri temperatura. Bilis, quae causa phrenitidis, in cerebro turgens vigiles facit. Siqꝫ tm incidit somnus, turbulentus est, non a flatibus, ut in melancholia, maniaqꝫ; sed a biliosi vaporis, aut sanguinis acrimonia, calore, motu concito validoqꝫ. Ferox etiam ex miti responsio, signum est bilescentis sanguinis in cerebro. Quumqꝫ sint in phrenitide deliria duorum generum: unum cum risu: serium et ferox alterum: securior est iocosa garrulitas quae calidioris duntaxat sanguinis exuperantiam indicat. Magis horrenda ferox et seria, cuius melancholicus aterqꝫ sanguis est causa. Nonnunquam vero phrenitici prius feroces placidi subinde fiunt, vel metu quo refrigescunt spiritus, ut quum vincula proferuntur; vel sedato bilis paroxysmo. Squallidi sunt oculi cum lachrymis ab imbecillitate spiritus animalis, qui plurimus exhauritur per vigilias et febrem. Rubent etiam, adnata tunica phlegmonem patiente propter sanguinis

Hoc e(st) ad Prognostica.

P

venularum assidentium copiam et acrimoniam. Nec solum oculi venae rubent, sed et tument reliquae capitis venae caloris Cerebri sympathia, quo sanguis sursum attractus Cerebri primum, inde Capitis venas implet, atque distendit. Stillat tum sanguis è naribus erosâ potius acrimonia sanguinis, quam apertâ venâ. Lingua scabra fit et aspera sanguinis appulsu, quo etiam non raro nigricat. Ob bilis humoris subtilissimi motum in Cerebro multae se phreneticis offerunt imagines, quas quoniam hi sermone conantur explicare, loquacitatis vitium incurrunt. Contenti vero sunt exiguo potu quia non sitiunt. Non sitiunt autem, vel quia siticulosam affectionem non sentiunt, languida facultate appetitrice stomachi: vel quod ardoris causa longius abest a ventriculo: vel quod eis mens aegrotat. Aliàs multa siti torqueri debent, cum in illis causa sitis abundet intemperies nempe calida siccaque. Non autem re vera floccos, aut paleas, aut simile quidpiam phrenitici colligunt; sed colligere se putant, vel cogitationis, vel sensus, vel utriusque iudicio destituti. Ut in phrenitide

pulsus frequens, sic paruus tactu percipitur: frequens quidem ob ~~usum~~, siquidem affectus est ab immenso calore: paruus autem ob arteriae duritiem a siccitate contractam: quae quoniam satis distendi non potest, pulsus quodammodo subtremere videtur. Quum vero subtremit pulsus et immodice creber est, imminet ex Galeno syncope. Cor namque traditur in consensum, idque cum cerebro summo ardet incendio, quo vires atteri necessum est et syncopem affore. Perpetuum autem hoc habent phreniticorum pulsus, vt cum conuulsione quadam motus eorum abrumpatur. Hinc in illis pulsum tremulum et conuulsiuum notamus; vtrumque perniciosum. Albet autem vrina phreniticorum, quia bilis, qua tingi solet in cerebrum tota rapitur. Rara in illis spiratio quia qui delirant, non norunt quando sit inspirandum expirandumque quum obliuiosi sint. Itaque magnum et rarum spirant, vt longitudine respirationis id natura compenset, quod breuitate debet et frequentia fieri.

ad Prognosim

e

R

In Synocho propensitas in somnum est a vaporibus in Cerebrum efferri solitis a tur gente sanguine: qua causa rubet facies. Rubet et vrina sero eius sanguinis copiam referente: calor mitior, quia sanguis omnium humorum mitissimus. Celer quidem pulsus est in omni Synocho propter vsum: æqualis in ea quæ pu tredinis expers est, inæqualis in putrida. In qua Systole quam diastole conci tatior tactu percipitur quia maior ex purgandæ fuliginis, quam refrigerandi cordis incumbit necessitas. Magni tudinem pulsus facit copia sanguinis et spirituum, a qua lassitudinis sen sus, spirandiq. difficultas.

T

Y

Pulsus in peste languidus
quia natiuus calor minimus, prae
ter naturam plurimus a quo vitalis
alteratur facultas. Etenim aura pe
stilens, ut omne venenj genus, ge
nuina sua proprietate Cor vitae fon
tem ac domicilium primo petere
solet, ac dein reliqua viscera, totum
que corpus inuadere. Paruus e-
tiam pulsus ab oppressione
celer ac frequens ob usum:
inaequales cum a febre putri,
tum a maligno vapore cor a-
gitante. Toruus aspectus a-
gitari siccarique notat animales
spiritus unde phrenitis: qua
fit ut sitis et vomitus a
bilis exuperantia

Animi deliquium nascitur a
maligno vapore in Cordis arcem
elato : frigus externum, in
ternusq; calor est a viscerū
incendio . Quoq; sopor est
vt plurimum accidit conciden
te robore facultatis animalis,
nisi multus dominatur humor
ab australi constitutione genitus.
Lotium est aliquando sano
rum simile, sæpe turbidum
vt notat Hippocrates . Cum
in inguine tumor apparet,
Hepatis : cum in axillis
Cordis : quum sub aure
cerebri robur indicatur, si
febris nondum apparet, vel
mediocris est, at symptoma-
tum leuitas cum viriū ro-
bore .

Cardiaca Febris dicitur in qua cor peculiariter affligitur. siue per Cor viscus illud perpetuo pulsans, quod est vitale principium, intelligamus: siue os ventriculi, quo qui dolent, καρδιαλγεῖν cordis dolore affici perhibentur. Syncopalis etiam febris appellatur, quia frequentes inducit syncopas. Tum cor palpitat ab inflammationis magnitudine. Ad ventriculum æstuans calor est, a bile flaua vel prasina ibi turgente, vel maligna illic infestante qualitate. Cardiogmus, Cordis seu potius ventriculi rosio seu morsus ab iisdem excitatur causis Respiratio frequens et parua ab oppressione.

faciei rubor a vaporum ascensu quos excitat insignis phlegmone: cuius signum est insignis in regione cordis dolor. Cutis mador est non sudor, qui criticus ideo non est, at symptomaticus, namque Diaphoreticus et Syncopticus.